

III.  
**NEOVIDENSIS**  
Nro. 26. (Neovidensis 1808. Nro. 25.)

*Politica Oratio.*

De finali Consectario Synedrii Parisiis celebrati.

Elysium Meum. — Die Martis. 12. April. 1808 (Neov. 25. Mart. 1808.)

**S e n t e n t i a.**

Cum expeditionibus Cruciatas in Germania cepere persecutiones Judæorum, duraruntque usque Fredericum III. 1470, et Carolum V. 1544 eorumque successores, qui eos, ceu Camerae suae servos publico patrocinio dignabantur,

*Historia Judæorum.*

**I**sraeliticus populus, ab Abrahamo ex regione Trans Euphratem sita originem duxit; aliquanto tempore in ea Syriae parte, quae Canaan seu Palæstina audiebat, sedes habuit, in qua patria varias inter vicissitudines independentem ac liberum Stetum constituit, demum ea exterminatus, in omnes mundi regiones dispersus est.

Hæc gens primordiis suis, tam in ratione legum, quam morum, ac vitæ ratione ab aliis gentibus separata fuit, & huic separatæ Hebræorum vivendi rationi, profanorum scriptorum Justini, Strabonis, Taciti, de origine, gestisque eorum memorabilioribus, errores potissimum tribuendi; Sacer solum Codex, scriptoresque: domestici, genuinus & fidedignus fons est, ex quo ea cognosci, intelligi & derivari possunt.

Judæorum fata in Germania nostra ætate oculis subjecta sunt — cum bellis sacris, ait C. Schmithius, in Germania persecutiones Judæorum occæperunt, & continuabantur usque tem-

pora Friderici III. Imp. 1470. atque Carolum V. 1544. eorumque successores, qui eos tamquam ærariales suos servos in protectionem assumserunt.

Post hanc periodum securitas bonorum hujus gentis sat firma fuit, verum politicæ ejus cum Christianis relationes, per locorum in quibus degebat, diversitatem definiebatur.

Josephus II. Imp. munifico nutu populum hunc dignabatur, & per sapientes leges politicam ejus existentiam in suis Dittonibus definiabat — grandis rei memoria!

Gallica revolutio, quæ in primo æstu omne quod ad præsens stetit, loco nonovere volebat; de Israelitis quoque grandes pro futuro tempore conceptus fovebat; nihilominus omnia arbitraria, fluxa & indefinita erant, usque Magnus Napoleon, qui omnia per leges definiri vult, Judæos quoque attentione sua dignoscensebat, atque, ante duos circiter annos, Conventum ex doctissimis rerumque peritissimis eorum, sub recepto apud eos nomine Synedrii cogebat. Jam ex publicis paginis constat, quam multa in hoc viorum Cœtu discussa, atque, quæ decreta, conclusa, decisaque sint; at vera genuinaque definita nequaquam explicata, & in aprium deducta sunt,

Sapiens princeps Primas, primus erat, qui Mense Febr. labentis anni, aggerem perripit, atque Judæis in Gallia per sapientes ordinationes firmitatem procurabat. Id dubio vacat: dispersum populum non subito, & ad semel in moribus & consuetudinibus pervetustis suis transformari posse; primum per educationem, atque sectationem novorum vitæ generum, fortassis

per aliquot generationes novam formam, novamque institutionem obtinere debet. In hac veritate cubat triumphus, & elucet germanæ perspicacitatis effectus.

Et jam! die 20. h. m. prodiit in gallicanis Ephemeredibus officiosis finalis decisio politicæ & ecclesiasticæ existentæ Judæorum in Gallia, quæ cum sapientibus ordinationibus principis Primatis in præcipuis capitibus concordat; prout utrumque exemplar combinanti illucebit. En! gallicanum Decretum:

Monitor hodie promulgat Regulamentum in celebrato die 10. Dec. 1806 Generali Judæorum Conventu latum, atque adcludit Cæsareum de 17. hujus Decretum, quo ejus executio præcipitur. Sequens memoratæ legis est summa: „In quovis Districtu (Departemento) in quo 2000 Mosaicæ religioni addicti morantur, Synagoga Israelitica, & Consistorium erigetur. Si Districtus 2000 animas non continet, plures Districtus pro Synagoga consistoriali concentrandi. Quævis Consistorialis Synagoga gaudet supremo Rabino; Consistoria constant ex Supr. Rabino, altero Rabino, & ternis Israelitis; præsidet iis senior de Collegio, qui Senior Consistorii adpellatur. Collegæ Consistorii per 25 Notabiles, per concernentes Jurisdictiones electos, denominandi. Collegæ Consistorii esse nequit: intra 30 aetatis annum, qui fortunis lapsus, aut usurariae pravitatis damnatus. Parisiis Generale Consistorium ex 3 Rabinis, & binis aliis Israelitis consistet. Rabini Centralis Consistorii annuo 6000 Franc. stipendio providentur, Consistorialium Synagogarum 3000 Franc. reliqui Rabini minimum 1000 Franc. salarium percipi-

unt. Alterum Caes. Decretum de 17. h. m. in hodierno Monitore complectitur uberiores definitiones intuitu memoratae legis, quae non modo Judaeis Imperii Gallicani, sed & Regni Italiae obligationem imponit. — Tertio Decr. de eodem dato praecipitur: 1) a tempore promulgatae hujusce Legis Interdictum quod per Decretum nostrum de 30. Maji 1806 intuitu exsolvendarum praetensionum Judaicarum latum, vigore suo caret. 2) Hae praetensiones interim sequentibus subjectae manent dispositionibus: 3) Quodvis mutuum a Judaeis, minor annibus datum, absque auctoritate Tutorum, uxoribus, citra consensum mariti, militaribus personis, absque facultate Centurionis, si gregarii, aut subofficiales; & agminis Praefecti, si officiales fuerint; de Jure nullum est, nec dominus Causae actionem in ejus argumento intendere cum effectu, nec judicia de eo cognoscere possunt. 4) Nullae Camp-graphae, obligatorialesque a subditis quaestum non exercentibus Judaeis tradendae exigi possunt, nisi earum possessor demonstraverit: earum plenum valorem, absque dolo & fraude praestitum esse. 5) Quaevis debiti praetensiones, cujus capitalis summa, ratione aut aperta, aut occulta, per accumulationem Censuum, ultra 5 pro Centum increvit, a Tribunalibus nostris devalvandae sunt. Si vero adjecti ad Capitale Censuum 10 a Centum superent, eorum praetensio pro usuraria, ac proin ut nulla declaranda est. 6. Intuitu legitimarum & non usurariarum praetensionum Tribunalia nostra Jure pollent, debitoribus aequos Terminos solutionis praefigendi & largiendi. 7) Deinceps & quidem a I. Julii, nulli Judaeo quaestum agere licet, nisi ad eum exercendum litteras patentes, a Praefecto Provinciae facultatem largientes impetret, quae litterae solummodo erga auctoritatem informationem & certificationem I. Magistratus Municipa-

litatis : quaestioni substratum Judaeum nec foeneratorem, nec injustum quaestum agitantem esse ; 2) Consistorialis Synagogae : ad Dioecesim pertinere, eum honestae, probaeque vitae virum esse; extradari poterunt. 8) Nostri Gen. Procuratores in Foris Judiciariis speciali mandato instructi sunt, revocationem harum Patentium speciali sententia Judiciaria petendi, quoties compererint : a Judaeo patentibus proviso fraudem, et dolum aut usuram praticari. 10) Quodvis nego ium commerciale Judaei Patentibus carentis, nullum & irritum declaratur. 11) Idem obtinet de hypothecis, quibus bona adfecta, in favorem Judaei Patentibus non provisi, si probatum fuerit : hypothecas ex praetensionibus oriri, quae ab origine Campsoriales erant, aut mercantili quocunque negotio nitebantur. 12) Quivis Contractus & obligatoriales in favorem Judaei Patentibus non provisi, quae a mercantili negotio non promanant, in cognitionem Judiciariam vocari possunt, in qua debitor ad probandam usuram aut fraudem admittendus, praetensioque ad arbitrium Judicis limitanda, aut in casum, quo usura 10 pro Centum excederet, pro irrita declaranda. 13) Dispositiones 4 Art. intuitu Campsorialium, aut Commissoriarum litterarum pro futuro aequae ac praeterito tempore robor & firmitatem retinent. 14) Nullus Judaeus famulis ad pignus pecunias mutuare, generatim in nullo casu pignus accipere potest, nisi coram Notario, qui testes litteras edere debet; pecuniam in sua & testium praesentia adcurate numeratam esse; sub poena ammissionis omnis juris ex pignore promanantis, quorum in eo Casu gratuita restitutio a Judiciis nostris ordinari potest. 15) Judaeis sub eadem poena nulla artis instrumenta, supellectilem nullam, ab opificibus, operariis & famulis in pignus accipere integrum est. 16) Nullus Judaeus, qui de praesenti in nostris provinciis Sup. & Inferioris Rheni domicilium non

habet, deinceps in iis sedem figere potest: in reliquis Districtibus perinde nullus Judaeus sedem figere potest, nisi proprium fundum adquisierit, & semet soli agriculturae absque ingestione ulla in quaestum impenderit; ab his dispositionibus erga specialem permissionem ex nostra parte exceptiones locum habent. 17) Judaeis in nostris Districtibus integrum non est delectus occasione alios vice sui conducere, sed quisque conscriptus Judaeus ad personaliter praestanda stipendia obligatur. 18) Ordinationes praesentis Decreti de cennio suo in vigore manent, interea speducimur: evoluto hoc temporis spatio, & medio diversarum intuitu Judaeor. initarum agendi rationum, inter hos, & reliquos Imperii nostri Cives nullum discrimen, amplius locum habiturum, praeterea nihilominus nobis reservamus: in Casu, quo spe nostra frustratos experiremur, illud temporis spatium pro arbitrio nostro prorogare. 19) Judaei Burdigalae, & in Districtu Gironnae & Landes sedes habentes, quoniam nullis querelis ansam dederunt, nec ullum illicitum quaestum agitant, dispositionibus hujus Decreti non continentur. 20) Ministris nostris quorumvis, quae ad eos pertinent, executio hocce Decreto contentorum incumbit & committitur. Subscr. *Napoleon*. Per Imperatorem. Min. a Secretis Status. Subscr. *Maret*.

*Organisatio Universitatis in Gallia.*

Institutio publica in omni Civitate magnum Culturae humanae argumentum est, ex ea ceu fonte promanat omnis nationalis Cultura. Monitor de 19. continet. Decr. Caes. organisationem publicae institutionis concernens, praecipuae in hoc argumento dispositiones ad haec revocantur.

Institutio publica in universo Imperio exclusive Universitati creditur. Nulla schola, nullum Institutum litterarium praeter Caes. Univ. & absque facultate illius, qui ei praeest, excitari erigique potest. Nemini scholam erigere fas est, nisi de Collegio Universit. & in aliqua ejus Facultate

gradum Doctoris adepto, nihilominus eruditio in Seminariis Cleri Jun. inspectioni Archi Episcoporum, & Episcoporum cuius in sua Dioecesi incumbit — iis competit Jus denominandi, & removendi Directores & Professores; ad id solum obligantur, ut se ordinationibus intuitu Seminiorum editis adcommodent. Caes. Univ. totidem Acad. constat, quot Trib. Adpellationis habentur. Scholæ ad quamlibet Acad. pertinenteshoc ordine se excipiunt. 1. Facultates pro sublimioribus Scientiis atque Collatio graduum Doctoralium. 2) Lycea pro antiquis Linqvis, Hist. arte Oratoria, Logica, & Elementis Matheseos & physices. 3. Collegia (scholæ secundariae Communitatis) pro elementis veterum Linqvar. historiae & Scientiarum. 4. Scholæ a privatis Mag. institutæ, in quibus institutio accedit ad eam, quæ in Collegiis datur. 5. Pensiones, Pensionata, quæ privatos Mag. respiciunt, quæ minus difficilibus studiis, quam quæ priore Art. proponuntur, destinata sunt. 6. Scholæ inferior. primariae, in quibus lectio, scrip. & prim. notiones Arith. pertractantur

Penes Caes. Univ. quinque dantur species Facultatum. 1) Theol. 1) Jurid. 3) Med. 4) Mathematicarum & physicarum disciplinarum. 5) Artium amoeniorum.

Professores Theol. A. Episc. Metrop. proponit, primum Magnus Mgn. Dec. & Prof. Fac. denominat, postmodum medio Conc. Cath. supplementur.

Facultates Theol. tanto numero sunt, quot Eccl. metropolitanae, singulae ternos numerant, Prof. unum historiae Ecclesiasticae, Dogm. alium, alium Mor. Evang. iis praest Decanus, qui ex Professoribus eligitur. Argentorati & Genevae Reformatorum Theologica Facultas reperitur,

Scholæ Juris de praesenti consistentes 12. Facultates constituunt, quæ ad Academias, in quarum Districtu sitae sunt, spectant & referuntur, praesentemque organisationem retinent.

Quinae de praesenti consistentes Scholæ me-

dicae totidem Facul. efficiunt, atque Academ. in quarum Districtibus collocatae, concernunt.

In principe Acad, loco penes Liceum erigitur Facul. Scientiarum, ad quam referuntur duo Prof. Mathes. Prof. Hist. naturalis, Prof. Physices & Chem. Adduntur his Provisor & Censor. Unus Professorum Decani munere fungitur.

Pone Lycaum in urbe primaria Acad. datur & Facul. amoeniorum Litter. quae coalescit ex Profes. amoeniorum litterarum & binis aliis, addi his possunt, Provisor & Censor; Unus e Collegio Professorum Decani vices sustinet.

Penes quamlibet Facultatem tres distinguendi gradus litterarii. Baccalauri, Licentiati, & Doctoris, qui a Facul. exactis publicis Examinibus conferuntur. Hi gradus tit. Col. Univ. non conferunt quidem, necesse tamen sunt, ad eum consequendum. Officiales Caes. Univ. hae se praerogativae serie excipiunt. 1) Magnus Mag. 2) Cancellarius. 3) Thesaurarius. 4) Consil. perpetui. 5) Inspectores Univ. 6) Rectores Acad. 7) Inspectores Acad. 8) Decani Facul. 9) Professores Facul. 10) Provis. Liceorum. 11) Censores. 12) Professores eorum. 13) Praesides Colleg. 14) Eorum Aggregati. 15) Institutores penes ea 16) praesides Institutionum. 17) Praesides Pensionum 18) Magister studiorum.

Omnes Scholae Univ. Caes. pro basi suae Institutionis assumunt. 1) praescripta Reg. Cathol. 2) fidelitatem erga Imp. Caes. Monar. & Dynast. Napol. qua conservatricem Unitatis Galliarum, atque omnium Constitutionem promulgatarum liberalium Idearum. 3) obedientiam erga statuta Collegii Institutionis, quae Uniformitatem docendi pro fine habent, atque pro Civitate Cives formare adlaborant, qui Religioni, principi, patriae, suaeque familiae devoti sint. 4) Cuncti Profess. Theol. obligantur. Edicto 1682 praescriptis se accomodare quod quatuor, in Declaratione Cleri Gallicani eodem anno edita, contentas propositiones respicit.

*Conclusio sequetur.*

dicae totidem Facul. efficiunt, atque Academ. in quarum Districtibus collocatae, concernunt.

In principe Acad, loco penes Lycaeam erigitur Facul. Scientiarum, ad quam referuntur duo Prof. Mathes. Prof. Hist. naturalis, Prof. Physices & Chem. Adduntur his Provisor & Censor. Unus Professorum Decani munere fungitur.

Pone Lycaeam in urbe primaria Acad. datur & Facul. amoeniorum Litter. quae coalescit ex Profes. amoeniorum litterarum & binis aliis, addi his possunt, Provisor & Censor; Unus e Collegio Professorum Decani vices sustinet.

Penes quamlibet Facultatem tres distinguendi gradus litterarii.. Bacalaurei, Licentiati, & Doctoris, qui a Facul. exactis publicis Examinibus conferuntur. Hi gradus tit. Col. Univ. non conferunt quidem, necesse tamen sunt, ad eum consequendum. Officiales Caes. Univ. hae se praerogativae serie excipiunt. 1) Magnus Mag. 2) Cancellarius. 3) Thesaurarius. 4) Consil. perpetui. 5) Inspectores Univ. 6) Rectores Acad. 7) Inspectores Acad. 8) Decani Facul. 9) Professores Facul. 10) Provis. Liceorum. 11) Censores. 12) Professores eorum. 13) Praesides Colleg. 14) Eorum Aggregati. 15) Institutores penes ea 16) praesides Institutionum. 17) Praesides Pensionum 18) Magister studiorum.

Omnes Scholae Univ. Caes. pro basi suae Institutionis assumunt. 1) praescripta Reg. Cathol. 2) fidelitatem erga Imp. Caes. Monar. & Dynast. Napol. qua conservatricem Unitatis Galliarum, atque omnium Constitutionem promulgatarum liberalium Idearum. 3) obedientiam erga statuta Collegii Institutionis, quae Uniformitatem docendi pro fine habent, atque pro Civitate Cives formare adlaborant, qui Religioni, principi, patriae, suaeque familiae devoti sint. 4) Cuncti Profess. Theol. obligantur. Edicto 1682 praescriptis se accomodare quod quatuor, in Declaratione Cleri Gallicani eodem anno edita, contentas propositiones respicit.

*Conclusio sequetur.*